Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36452
Copyright: Melk, Benediktinerstift

restaurationem. leprosi mundiciam carnis acceperunt. Cum hec et his similia dominus omnipotens per intercessiones sancti sui martiris operari dignaretur. fama eius cepit longe lateque clarescere. ita ut a senatu et ab omni populo romano in tam magno veneracionis affectu coleretur. ut post apostolos nominatissimus haberetur. Sed miror quod in tam parva cedula memoria passionis eius adscribitur. cum tanta miracula post passionem suam dominus omnipotens declarare dignaretur. nisi quod dominus dixit. Nichil enim occultum quod non reveletur: neque absconditum quod non sciatur. Sciebat enim quod sanctus vir favores fugebat seculi: et quod illi latebat in pectore. doctor bonus demonstrabat in opere. Sed ea que per martiris sui merita operari dignatus est miracula: nullus sermo sufficit enarrare. Sed cum oportunum tempus advenerit. pauca ex pluribus explicabimus. Igitur cum processu temporis evolventibus annis. dum hec et his similia per sancti martiris merita gererentur. erant in provincia noricorum duo germani fratres. adalbertus et otkarius viri famosi atque laudibus inormes. Et erant eis predia in pago australi vir̃
Nō latum tegerinsense. una silva intervenniente. Qui dum assiduarent ad piscandum predam: facti sunt iuxta quod dominus ad apostolos ait. piscatores hominum. Prospicientes iuxta lacum. locum divino cultui aptum stirpare. atque locum in cultum emundare ceperunt. edificantesque ibi basilicam in honore domini salvatoris. atque aliam edificare statuentes adiunctis cementariis. atque aliis necessariis. ipsi romam profecti sunt limina sanctorum querere. et domino annuente inde re
/aliq̃s

liquias sanctorum secum adducere. Qui cum pervenissent. et oratione facta ad utraque beatorum apostolorum limina ad summi pontificis presenciam venientes. ad eius se straverunt vestigia: muneraque non modica obtulerunt. Quibus resalutatis. orationibus eius se commendaverunt. de negociis ad que venerant flagitare ceperunt. Eo autem tempore gens paganorum regnum romanorum magna ex parte vastaviat. At ille cum merore cepit eis exponere. quas persecutiones a paganis sustinerent. ita ut putaret se urbem que omnium caput est: nisi cicius divina protegeret dextera expugnari. At illi respondentes dixerunt. Diu residet. qui inimicos domini expectat. At ille cognoscens quod de civium ignavia dixissent. atque generositatem illorum videns. cepit hortari illos ut propter honorem dei et sancti petri aliquod solacium eis exhibuissent. promittens eis quicquid pro laboris sui compendio accipere voluissent se daturum esse paratum. Atque illi ut erant strenui de permissione leti. et de domini misericordia confisi. convocatis romanis principibus: exhortari eos ceperunt. ut forti animo contra adversarios eorum existerent. Et accepta benedictione a summo apostolico assumptis comitibus: simulque romanis principibus contra hostes suos iter carpebant et irruerunt in eos fortiter. et tanta cede prostrati sunt. ut relinquentes omnia sua. vix per pauci arreptis navibus evaderent: Sed et plurimi eorum in maris pelago perierunt. De christianis vero nulla erat diminucio. sed omnes ovantes cum triumpho. et cum magno spolio romam sunt reversi. Obviam eis erat dominus